



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris  
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

**Thomas <von Kempen>**

**Dvaci, 1625**

De pace cordis & quiete in Deo. VIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

ad Deum in celo. Nam ibi est thesaurus animæ absconditus Dominus Iesus Christus, in quo omnia bona continentur. Semper miser est & eget, quicquid habet, qui Deum amicum non habet. Ille Deum habet, qui eum amat, & sermonem eius seruat.

2. Ille verbum Dei bene seruat, qui otiosum verbum nunquam profert, qui opere ostendit, quod ore prædicat; qui propriam gloriam non quarit, sed omnia bona quæ facit, & in alijs videt, pure ad gloriam Dei refert. Qui autem sibi placet, stulto placet, & Deo displicet. Ideo in omnibus bonis quæ agis & dicis, Deo placere studeas, vt ampliora bona ab eo recipias. De bonis nature quid gloriaris, cum sis mortalis à vermibus mox rodendus? Audi senem iuuenis: Recipe te à rebus te distrahentibus: quia requiem non inuenies, nisi ad cor tuum redeas, & Deum super omnia bona quæras, & intimè diligas.

## CAPVT VIII.

*De pace cordis & quiete in Deo.*

*Psal. 75.*

1. **I**N pace factus est locus eius. Quis est in bona pace? Qui mitis est & humilis corde. Quare vis scire de statu aliorum, qualiter sit cum eis, & teipsum negligis in multis? Ecce, qui melius seipsum humiliare & pati propter Deum, hic melius est in pace. Huic omne onus fit leue, propter Deum quem habet in corde. Beatus, qui loquitur cum Deo orando, meditando, cantando, legendo; & de alienis tacet, quæ fiunt in mundo. Vbicumque es, & transis, vel fugis, cogitatio tua tecum transit. Bona meditatio lætificat, mala contristat. Ira perturbat, inuidia excæcat, odium necat. Deuota lectio instruit, oratio accendit, operatio verbum implet.

2. Sermo sanctus corda mundat, vanus maculat, otiosus scandalizat, durus grauat, pius placat, moralis ædificat, historialis fidem confirmat, cælestis ad æthera leuat. Munda ergo cor tuum ab omni malitia, & eris in bona pace. Non est pax bona, nisi in Deo & cum virtuoso, qui omnia bene agit propter Deum, quem diligit. Mane in silentio, & sustine modicum propter Deum, & ipse liberabit te ab omni onere & inquietudine. Beata vita & bona conscientia dāt fiduciam ad Deum in tribulatione, & in morte; mala autem conscientia semper est in timore & in lite. Iracundus citò cadit, de vno malo in aliud peius. Patiens & mitis de hoste facit amicum, & Deum inueniet sibi semper propitium, propter pietatem erga peccantem.

CAPVT